

& a d vtriq; cōmune & anguli, qui circa d recti, patet per præcedentem demonstrationem, ꝙ anguli qui sub a b c & a c b sunt æquales, quod erat demonstrandum. Porisma, hinc sequitur, ꝙ quæ per verticem trianguli Isosceلis circumferentia ad angulos rectos cadit in basim, basim simul & angulum æqualibus comprehensum lateribus, bifariam secabit, & è conuerso, quod constat per hanc præcedentem demonstrationem.

X.

Bina quælibet triangula in eadem Sphæra æqualia latera habentia alterum alteri, æquales etiam angulos habebunt alterum alteri sigillatim. Quoniam enim trina vtrobique maximorum circulorum segmenta, pyramides cōstituunt fastigia habentes in centro sphæræ, bases autem triangula, quæ sub rectis lineis circumferentias trangulorum connexorum subtendentibus plana continentur, suntq; illæ pyramides similes & æquales, per definitionem æqualium similium solidarum figurarum. Ratio autem similitudinis est, ut angulos quocunq; modo susceptos, habeant adinuicem ęqualem alterum alterius, habebunt ergo angulos ipsa triangula æquales inuicem, & præsertim, qui generalius definiunt similitudinem figurarum, eas esse uolunt, quæcumq; similes habent declinationes, ac in eisdem angulos sibi inuicem æquales. E quibus manifestum esse puto, quod in sphæra triangula, quæ inuicem ęquilatera sunt, similia esse, ut in planis.

XI.

Omne triangulum, cuius duo latera fuerint data cum aliquo angulo, datorum efficitur angulorum & laterum. Nam si latera data fuerint æqualia, erunt qui ad basim anguli æquales, & deducta à vertice ad basim circumferentia ad angulos rectos, facile patebunt quæsita per porisma nonæ. Sin autem fuerint data latera inæqualia, ut in triangulo a b c, cuius angulus a sit datus, cum binis lateribus, quæ uel comprehendunt datum angulum, uel non

com-